



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

De loco patriarchae resistendo, & de honore episcopo Hierosolymitano &  
Seleucia habendo. Capvt XXXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

ANNO  
CHRISTI  
335.

Sic agendum est cum quocumque qui a vera fide non vacauit, & qui baptismum & leges ecclesiæ retinuit, sicut alii Christiani; & qui ex istis clericus fuerit, si non mutauerit scripturam, neque deserit festos dies celebrare; qui eiusmodi fuerint, non sunt annumerandi infidelibus & Iudæis, quia non negauerunt nos, sed nobis propter iram & indignationem aduersati sunt: & quicumque contradixerit, excommunicetur.

Huiusmodi fuerunt Audiani, sic dicti ab Audio quodam, temporibus Arii, de quo sanctus Epiphanius libro tertio, hæresi 70. qui cum sodalibus suis nihil, inquit, habebat in fide diuersum, sed rectissime credebat. Audiani non deserunt festum Pascha celebrare, licet per errorem cum Iudæis azymorum dies agerent. Istos credo corrupte vocari in hoc Canone Caguadanos. tales etiam fuerunt Meletiani, Meletii Ægyptii sectatores, de quo idem Epiphanius libro secundo, hæresi 68. non est, inquit, immutata fides ipsius aliquo tempore a sancta ecclesia catholica. Fortasse etiam corrupte legitur in hoc Canone Taimainorum, pro Meletianorum.

*De loco patriarchæ resistendo, & de honore episcopo Hierosolymitano & Seleuciæ habendo.*

### CAPVT XXXIII.

Patriarcha sit in ciuitate regia, vt sit honori ipsi & regi, & aliis simul presbyteris. Honoretur etiam episcopus Æliæ plusquam alii episcopi, quia ipse residet in sancta ciuitate, vnde crux Dei Domini nostri cœpit, & vbi est locus \* iudicii. Honoretur quoque similiter sedes Seleuciæ, quæ est ex ciuitatibus orientalibus, qui debeat etiam appellari nomine catholici; & possit is ordinare archiepiscopos, sicut faciunt patriarchæ, vt orientales non patiantur damnum expectando patriarcham Antiochiæ, aut eundo ad eum, & gentiles reperiant viam ad necessitates suas: quia in hoc



non fit iniuria patriarchæ Antiocheno. Siquidem ipse consensit, postquam hoc ab eo Synodus petiuit, ne de sublata potestate ista quereretur; quæ nihil aliud desiderabat, vt illius prouinciæ fideles pace & quiete fruerentur; simul etiam, vt is qui tenet sedem Seleuciæ, nomine catholici honoraretur.

\* De iudicio accipiendum est, quo victa est mors morte Domini, & eo resurgente reddita mortuis vita.

*De honore habendo archiepiscopo Seleuciæ in Synodo Græciæ.*

#### CAPVT XXXIV.

Si acciderit, vt necesse sit conuenire episcopos Græciæ, & fuerit præsens prælatus Seleuciæ, quem diximus, quæ Seleucia est in prouincia Babylo-niæ in regno Zabur, & hodie est Ciuitatulæ, oportet honorare eum multum, & magnificere, atque extollere supra omnes episcopos Græciæ. Siquidem ipse tenet locum patriarchæ in oriente; & sedes eius in Concilio debet esse sexta post episcopum Hierosolymitanum. & quicumque hanc constitutionem violauerit, Synodus eum excommunicat.

*De non habenda Synodo prouinciali in prouincia Persidis sine auctoritate patriarchæ Antiocheni, & vt episcopi Persidis subiecti sint metropolitanis Antiochia.*

#### CAPVT XXXV.

Non permittit magna Synodus, vt congregentur in prouincia Persidis ad disponendum aliquid ad ordinem ecclesiæ pertinens sine consensu & auctoritate patriarchæ Antiocheni; quia quamuis prælatus Persidis sit loco patriarchæ, & non quæ-